



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Epistola C. Leonis Papae I. Ad Gennadivm Episcopvm
Constantinopolitanvm. Monet vt a Timothei, qui ab Alexandrina ecclesia
eiectus Constantinopolim venerat, communionem abstinereat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

ditione restitui, nequaquam tamen quæ sceleste cruento-
 que commissa sunt, possunt probabilium verborum pro-
 testationibus aboleri: quia in pontifice de hoc (maxime
 tantæ ecclesiæ sacerdote) non sufficit sonus linguæ & ser-
 mo labiorum: & nihil prodest si Deus voce prædicatur, &
 mens impietate conuincitur. De talibus enim per Aposto-
 lum sanctus Spiritus loquitur: *Habentes speciem pietatis, vir-* 2. Tim. 3.
tutem autem eius abnegantes. Et iterum alibi: *Deum profitentur* Tit. 1.
se scire, factis autem negant. Vnde cum in omni ecclesiæ mem-
 bro, & integræ fidei veritas, & bonorum operum plenitu-
 do quærat: quanto magis in summo pontifice debent
 vtraque præcellere, quia alterum sine altero non potest
 cum Christi corpore compaginari? Nec necesse est nunc
 omnia, quæ Timotheum execrabilem faciunt, enarrare,
 cum copiose atque manifeste in totius mundi notitiam,
 quæ per ipsum ac propter ipsum sunt gesta, processerint: & si
 quid ab incomposito vulgo contra iustitiam perpetratum
 est, in huius omnia verticem confluant, cuius desiderii
 manus furentium seruiuerunt. Vnde si etiam in professio-
 ne fidei nihil hic negligat, nihil fallat, aptissimum gloriæ
 vestræ est ab hoc appetitu illum prorsus excludere: quia
 in tantæ vrbis antistite vniuersa ecclesiæ membra decet
 sancta exultatione gaudere, vt vera pax Domini non
 solum prædicatione fidei, sed etiam morum clarificetur
 exemplo. Data decimoquinto Kalendarum Iuliarum, Is est annus
 salutis 460.
 pontifica-
 tus S. Leo-
 nis 21.
 Magno & Apollonio consulibus, per Philoxenum agen-
 tem in rebus.

EPISTOLA C.

LEONIS PAPÆ I.

AD GENNADIUM EPISCOPUM
 CONSTANTINOPOLITANUM.

Monet vt a Timothei, qui ab Alexandrina ecclesia
 eiectus Constantinopolim venerat,
 communionem abstineat.

Leo episcopus Gennadio episcopo Constantinopolitano.

DILECTIONIS tuæ literis, & fratrum coepisco-
 porumque nostrorum Domitiani & Geminiani ser-
 Concil. Tom. 7.

Kk

mone agnoui Timotheum, postquam ecclesiæ Alexandrinæ ciuitatis expulsus est, Constantinopolim (nonnullis hoc fidei aduersariis agentibus) venire permisum: ut, quantum datur intelligi, quia vniuersorum Domini sacerdotum sententiis coarctatus, inuitus saltem ad catholicum se dogma conuertat, ut tamquam propter hanc tantummodo culpam videatur eiectus, hæreticæ peruersitatis errore damnato, doctrinæ apostolicæ, ut ad Alexandrinam redeat, acquiescat; cum illi etiam si catholicus probaretur, hoc vehementer obsistat, quod uiuente episcopo, tantæ sedis inuasor est, & auctor apparuit inauditæ crudelitatis admittæ. Et ideo dilectio tua sollicitudine, qua claret, eniti & elaborare debet, ne cum tam nefario homine sermo aliquis priuatim vel publice misceatur, neve sub specie correctionis eius quorundam Conuentui præbeatur occasio, ne redeundi integram capiat libertatem, de quo iam edictis suis princeps Christianissimus indicauit. Omni igitur labore & circumspeditione peruigili unitati ecclesiasticæ profuturus enitere, frater carissime, ut spes suffragatoribus ipsis adimatur, & Alexandrinis ex clero suo catholicus episcopus secundum morem veterem per orthodoxos episcopos consecretur: quia parricida ille non alias a suis defensoribus deseritur, nisi Alexandrina ecclesia, quæ patrum honori, & suæ restituenda est libertati, rectorem sanandis omnibus, quæ male gesta sunt, probatissimum fuerit consecuta. Datum quintodecimo Kalendas Iulias, Magno & Apollonio consulibus, per Philoxenum agentem in rebus.

De eade
Proterii e-
piscopi di-
cit.